

Observ. III. nisi unus radius ad quamlibet aurem dirigitur, reliquis omnibus hanc prætereuntibus; cum in clausis & præcipue fornicatis locis quamlibet aurem non ille suus directus tantum, sed etiam reliqui plerique omnes, illam aurem antea quidem præterlapsi, sed ex parietibus circumstantibus, unâ sui parte saltem, ad eandem reflexi feriant [nam etiam quemlibet soni radium è puncto reflexionis suæ iterum sphericè in omnes partes divisim radiare docent echûs responsa à pluribus auditoribus intervallo notabili disjunctis simul audiri solita] atque adeò, tametsi figillatim debiles, junctim tamen plurimi uno directo multò fortiores, auditûs organon unâ cum ipso directo multò vehementiùs commoveant.

Observ. IV. XXI. Huc reducenda est illa quoque observatio, quâ sclopeti explosi fragorem in vicinas sylvas illapsum ita multiplicari frequenter hîc loci audimus, ut non solum major, sed per notabilem temporis morulam continuatus percipiatur; & similis huic, at notabilior, illa *Davidis Frölichii* Mathematici in Hungaria Cæsarei, quam *Bernardus Varenius* Geogr. Gen. Lib. I. Cap. XIX. Prop. 41. ex illius Viatorio adduxit, & quam *Dn. Morlandus* etiam in suo *Discursu è Varenio*, sed tanquam ab ipso habitam, allegat, eum *Roberti* quoque prænomine erroneè laudans; quâ montem *Carpathum* Hungariæ anno 1615. Mense Junio conscendens cum aliquot sodalibus, inter cætera notavit: 1. Saxum utlutum ex vacillantibus innumeris è supremo vertice provolutum alia plurima multò majora secum rapuisse, & quidem tanto cum fragore, ut metuendum videretur, ne totus mons corruat: 2. Explosum in summitate (quæ milliaris germ. altitudine in aërem elevata judicabatur) sclopetum non majorem sonitum primò præ se tulisse, quàm si ligillum vel bacillum confregisset; post intervallum autem temporis, murmur prolixum invaluisse, inferioresque montis partes convalles & sylvas opplevisse; 3. Descendendo deinde per nives